

---

Signa et alia antiquae artis opera ex rudere vetere eruendi, atque undecunque conquirendi studio per haec saecula plus minus vigente: nec artifices, qui eorum imagines aeri inciderent, nec viri docti defuerunt, qui in iis explicandis eruditionem ostentarent. Quod opus utrumque arduum esse, nemo facile negabit. Multa sane concurrunt, quibus difficile reddatur. Nam, — ut de artificio in materiae tractatione conspicuo taceam, — pictorès modo magnarum statuarum imagines in tabulis brevibus delineantes, modo brevissimas gemmarum dilatantes et ampliātes, etiāsi velint et artem suā probe calleant, singula et subtiliora quaeque exprimere non possunt; in chalcographorum vero vel diligentissimorum operibus ne ea, quae pictor recte expresserat, nonnihil immutata esse videantur, vix potest vitari. \*) Quid dicam de iis, qui vel negligentius, vel imperitiū has artes exercebant, quorum incuriam fere omnes viri docti, qui suis ipsi oculis antiquorum operum reliquias contemplantur, accusant?

Magnum deinde operum eorum explicationis impedimentum inde existit, quod longe plurima non integra ad nos pervenerunt. Jam veteres mutila multa refecerant et interdum, statuarum capitibus prioribus

---

\*) Plin. Epist. 4, 28: cum est arduum, inquit, similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est imitationis imitatio.

bus dejectis, alia imposuerant; quae vero supersunt signa, pleraque capite, brachiis, manibus pedibusve prominentibus truncata reperiuntur, et longi exstant ordines capitum antiquorum sine naso antiquo. Quae signa, cum palatiorum et museorum ornamento dicari solerent, ne qua deformitate oculos laederent: recentiores artifices pro sua quisque intelligentia et suo captu partes deficientes, interdum pessime, suppleverunt, vestium plicas aliasque marmoris partes infractas ita, ut contiguas quoque abraderent, laevigaverunt, et multimodis insuper antiqua laedentes quo majore arte suum laborem celare potuerant, eo difficiliorem reddiderunt antiquarum rerum explicationem.

Alia denique difficultas ex virorum doctorum nimio fere studio omnia explicandi orta accessit, qui, cum alia opera antiqua facilia sint explicatu, alia probabiliter explicentur, in non paucis, postquam aliorum errores redarguerant, novas explicationes adferentes ipsi fallebantur, in paucissimis se nihil scire fatebantur. Artifices enim veteres licet argumenta operum plurima modo ex fabularum orbe patulo, modo ex historia sumerent, nihil tamen impediabat, quominus alia omnia, quae ipsi aliique commenti essent, sculperent et caelarent. Quorum operum si quaedam supersunt sine interprete antiquo, lateri licebit, exstare, quae vix unquam explicari possint, et peccant, qui omnia explicare malunt, quam quaedam non intelligere. Quos mihi senes enumerarent, si pro Plinii epistola sexta libri tertii ipsum id signum corinthium exstaret, quod ille emerat, „modicum quidem sed festivum et expressum; — est nudum; — effingit senem stantem; ossa, „musculi, nervi, venae, rugae etiam, ut spirantis, apparent; rari et ceteri „dentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum etc. Talia „deinde omnia, ut possint artificum oculos tenere delectare imperitorum.“ Et Plinius ipse, mire eo signo delectatus, dignum censebat,

non

non quod domi haberet, sed quod in patria sua celebri loco poneret, in Iovis templo. Nonne nomen senis adscripturus fuisse videtur, nisi ipse ignorasset? Nihil miratur, nisi artificium. Formae vero pulchritudinem quis est, qui in opere admirari potuisset, quo nescio quis artifex, cum in sene ob carnis et pinguedinis defectum ossa et venae tendinesque minus tegantur, scientiae suae anatomicae, quam vocant, specimen dare voluisse videatur?

Non video, quomodo artis antiquae reliquias multas recte explicare possit, nisi qui omnis antiquitatis scientia amplissima instructus, elegans spectator eas suis ipse oculis contemplatus sit atque diligentissime exploraverit. Praecipue multa illa in scriptis veterum monumentis de signis, gemmis etc. testimonia neglexisse non debet, sed collecta in promptu habere, non audeo dicere omnia omnium auctorum, quod fieri vix potest, sed quam plurimorum. Jam ad hoc multa opus est lectione et multorum annorum longe majore labore, quam cui plerique, qui Italiam adituri sunt, se dare et possint et velint. Fuerunt viri docti, et primo inter eos loco Winkelmannus, qui Plinio majore, Pausania et aliis auctoribus diligenter uterentur; iidem vero alios immerito neglexisse, saltem non satis consuluisse videntur, interque eos Martialem. Quod mihi quidem sic esse videbatur, cum ex magno numero eorum, quae in hoc poeta ad artes et opera artificum antiquorum spectant, parvulam partem, decem disticha, per hanc occasionem explicare instituerem.

Saturnalium et Sigillarium diebus festis mos receptus erat, et alia multa, et signa parva fictilia, marmorea aeneave, pro rei familiaris vel tenuitate vel amplitudine, amicis dono mittendi. Inde Martiali in Apophoretis etiam signorum aliquot mentionem faciendi occasio dabatur.

Artem

Artem ex argilla, creta,\*) gypso signa faciendi (πλαστικὴν Graeci vocant) antiquissimam Romae fuisse et priorem ea, qua ex aere statuas funderent, facile credimus. Docet id Plinius H. N. l. 35. c. 12. sect. 44. seqq. Fuerant enim a primis urbis temporibus, qui figlinas exercebant, non solum, ut vasa ad usus domesticos facerent, sed etiam, ut deorum templa ornarent. Quare jam Numa (Plin. l. 1. Plutarch. in Numa c. 17) collegium figulorum instituerat. Tarquinius Priscus artificii Etrusco effigiem Iovis in Capitolio dicendam locarat; fictilis erat; fictiles in fastigio templi ejus quadrigae. *Ab hoc eodem, narrat Plinius, factum Herculem, qui hodieque materiae nomen in urbe retinet. Hae enim tum effigies deum erant laudatissimae. Nec poenitet nos illorum, qui tales deos coluere. Aurum enim et argentum ne diis quidem consuebant. Durant nunc plerisque in locis talia simulacra. Fastigia quidem templorum etiam in urbe crebra et municipiis, mira caelatura et arte aevique firmitate sanctiora auro, certe innocentiora.* M. Varro ap. Plin. l. eod. tradit, sibi cognitum Romae Posim nomine, a quo facta poma et uvas, ut non posses ad spectu discernere a veris. Arcefilai proplasmata (*les modèles*) pluris venire solita artificibus ipsis, quam aliorum opera; crateris exemplar ἢ πρότυπον e gypso factum talento stetit; laudat et Pasitelem, qui plasticen matrem statuariae sculpturaeque et caelaturae esse dixerit; et cum esset in his omnibus summus, nihil umquam fecerit, antequam [proplasma ex argilla gypsove] finxerit. Exstabant igitur prioribus Romae temporibus multa signa deorum fictilia, interque ea Herculis illud, quod Plinius etiam suo tempore *materiae nomen in urbe retinuisse* docet.

\*) Figularem intellige; Pallad. lib. I. tit. 34. §. 3. creta, quam argillam dicimus. — Quam nos cretam vocamus, nusquam in Creta insula reperiri sed ex Europa septentrionali advehi docet Sieber in itin. T. I. pag. 223.

docet. Videlicet *Hercules fictilis* appellabatur. Τὸ πρῶτότυπον erat id signum, quod Etruscus ille fecerat; similia sigilla primo etiam post Chr. saeculo fingere non desierant,\*) ut ad Sigillaria (quo nomine urbis vicus dicebatur) venalia essent et dono mitterentur. Quare inter Martialis Apophoreta hoc epigramma legitur:

176. *Hercules fictilis.*

Sum fragilis; sed tu, moneo, ne sperne sigillum;

Non pudet Alciden nomen habere meum.

Per multa enim saecula se *fictilem* adpellari passus est; et sine dubio etiam id sigillum,\*\*) adfabre factum erat. Ex Plinii loco verisimile mihi est, Herculem eum fictilem esse dictum, etiam si non esset figuli opus. Sic etiam *Thericlea opera* a Thericle figulo, dicebantur, cum primum figlina essent, deinde ex metallo fierent.

Ex iis signis, quae figuli fecerant, etiam haec commemorantur, alterum:

Apoph. 174. *Persona germanica.*

Sum figuli lusus, rufi persona Batavi.

Quae tu derides, haec timet ora puer.

Batavorum igitur, sive potius, ut lemma sequamur, Germanorum vultus fingebant figuli rufos totos, non solâ comâ, horrido capillo et barbara atrocitate deformes, ut, quae ora viris ridenda viderentur, eadem pueri timerent; ut Germani fictilis vultus et caput esset puerorum formido.

Alterum

---

\*) Quod superest antiqui operis figlini, eximie laudatur a Winkelm. in *Hist. Artis* p. 23.

\*\*) Signa, staturam humanam bis, ter, plus minus superantia colossi; minora et puerorum dicebantur sigilla.

Alterum est Ap. 180.

*Sigillum gibberi fictile.*

Ebrius haec fecit terris (sive, ut coniecit Anton. de Rooy:

Ebrius *his fecit formis,*) puto, monstra Prometheus:

Saturnalitio ludit et ipse luto.

Quod epigramma quamvis facile intelligatur, operae tamen pretium est; interpretis docti commentum audire, qui *Giberii* cum antiq. editt. legit, eo nomine Clefippum a gibbere dictum opinatus, et rem sic planam facere studet: „Gegania praedives foemina candelabrum „emit nobile L. festertis, quod ea lege vendebatur, ut simul Clefippus „fullo, monstrum hominis, gibbere nempe et alio foedus adspectu, „ut Plin. l. 34. c. 3 refert, emeretur. Clefippo postea sua Gegania „nupsit eumque mox ex alle heredem scripsit, qui praedives candelabrum illud, „cujus beneficio emtus erat, numinis loco coluit. Femina summa laboravit apud omnem posteritatem infamia, cuius vir ob „deformatatem, ut monstrum aliquod et naturae portentum, est effigiatus, in „quam effigiem est hoc epigramma, quo jocatur in Prometheus Martialis. Prometheus enim, ut fingunt poetae, primus hominem e luto formavit, eumque, ut est, pulchrum et venustum. At „Clefippum, inquit, turpissimum idem puto fecit Prometheus fictilem, „sed ebrius et in Saturnalibus. Jovem tibi lapidem jurarim, hanc esse „mentem poetae.“ Sed licet per omnes deos deasque jurare maluerit, ego nihil in hoc disticho nec de Gegania video, nec de Clefippo. Divites cum domi alerent pumiliones omnis generis, cum distortis et quocunque modo prodigiosis corporibus apud quosdam majus esset pretium, quam iis, quae nihil ex communis habitus bonis perdiderant, (Quintil. Instit. 2, 5, 11.) cum ea corpora aere fingenda curarent, quid mirum, si Saturnalibus fictilia et essent venalia et dono mitterentur?

Martia.

Martialis vero originem jocosè explicaturus, Prometheus, generis humani conditorem,\*) ebrium ea fecisse docet quasi per licentiam Saturnalium luto s. argilla ludentem. Exstant eius generis sigilla aenea plura. Vid. Boettigeri Sabina T. II. p. 42.

Inter signa multa ex marmore et metallo facta, quae dono mitti possent, cum Martialis etiam Victoriam vidisset, ea occasione, ut imperatorem aduletur, abutitur.

Apoph. 168. *Signum Victoriae.*

Haec illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus

Vera dedit: decies adde Falerna, puer.

Regibus antiquis, antequam praeda bello parta, in partes divisa, militibus sortito distribueretur, eximium quid delectum et honoris causa datum esse (*γέρας* id adpellabant Graeci) jam ex Homero constat. Quare poeta: haec, inquit, Domitiano sine sorte datur, Germanorum victori, Germanico, quo agnomine non merito eum imperatorem adpellari voluisse scimus. Deinde, hilaritate plenus saturnali, pro more, in aliorum gratiam et honorem ita bibendi, ut tot cyathi haurirentur poculo infusi, quot nomen eorum litteras haberet, puerum jubet *decies addere Falerna*, decem cyathos, quot litteras *Germanicus* habeat, vini optimi infundere et dare bibendos. Compositum *addere* est pro simplici *dare*, ut vice versa *fundere* dixerunt pro *infundere*. Lib. 9, 95, 1: *Addere quid cessas, puer, immortale Falernum.* Cfrantur interpretes ad Tibull. 1, 2, 1: *Adde merum.* Victoriae signa etiam nunc supersunt plura de quarum forma diversa vid. Hirt. in Fasc. 1. p. 93. Quam Victoriam Martialis imperatori offert, facile eam esse crediderim, quae alis

B

in-

\*) Athenienses olim ollarum et similibus rerum figulos, ad lutum et ad illam, quae fit in igne, vasorum cocturam adludentes, Prometheos vocabant.

instructa, sub pedibus orbem terrarum, manu sinistra palmam habet, et dextra coronam victori imponere videtur.

Apoph. 169. *Bruti puer.*

Gloria tam parvi non est obscura sigilli.

Istius pueri Brutus amator erat.

Istius sigilli aenei amator, quod Strongylionis opus erat. *Fecit enim hic ex aere puerum, quem amando Brutus Philippensis cognomine suo illustravit.* Plin. H. N. 34. sect. 19. no. 21. quod *πρωτότυπον* alios artifices imitatos esse verisimile est. Puerorum signa exstabant multa; non pauca supersunt; complurium ratio, qua insignes erant, describitur; Stipax ex. c. Splanchnopten fecerat. *Periclis Olympii vernula hic fuit, exta torrens, ignem oris pleni spiritu accendens.* Plin. l. l. Lycius fecerat puerum sufflantem languidos ignes; Lycus suffitorem, s. odores accendentem. Plin. l. l. no. 17. Quid Bruto placuerit, describere nemini placuit. Ex Martiale nihil videmus nisi brevissimum fuisse eius pueri signum; hoc loco *parvi sigilli gloriam*, libro 2, 77 *brevem puerum Bruti* commemorat; et libro 9, 50 brevia epigrammata sua cum sigillis comparans *Nos, inquit, facimus Bruti puerum, nos Langona vivum*, s. quem vivum credere possis. Sed fortasse hac ipsa consociatione in utroque sigillo simile puerorum ingenium expressum fuisse indicatur. Langona enim, a Lycisco factum Plinius l. l. no. 17 *puerum* appellat *subdolae ac fucatae vernilitatis*; id quod ipsum nomen graecum *λαγγών* cessator, tricosus, indicare videtur. Vid. Schneideri Lex. in *λαγγάζω*. Quare cum Codd. Gruteri et edit. principe in Martiale *Langona* legendum est, cum reliquae maximam partem et Plinius *Lagona* et *Lagonem* legant. Scriverius non audiendus est, cui nomen a *πλαγγών*, π euphoniae causa abjecto, deductum videtur.

Apoph.



Apoph. 170. *Sauroctonos Corinthius.*

Ad te reptanti, puer infidiose, lacertae

Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Ex aere corinthio factus erat puer lacertae (sagitta) insidians ad se reptanti; sed puer erat pulcherrimus, ut lacerta, quamvis imprudens ad mortem repât, hoc ipsum tamen cupere videatur, ut manu pulcherrimi pereat. — Praxitelis signum τὸ πρῶτότυπον fuisse videtur, quod alii imitarentur. Nam inter minora simulacra signaque, quibus artifices multi fuerint nobilitati, Plin. l. 34 sect. 19 no. 10 etiam Praxitelis *puberem Apollinem subrepenti lacertae cominus sagitta insidiantem, quem Sauroctonon vocant*, commemorat, ex aere factum. Nomen *Apollinis*, in prius editis omissum, ex aliquot Codd. Harduinus adjecit, Martiale quidem, cujus ille testimonio utitur, non favente. Nec enim in lem-mate legitur *Apollo Sauroctonos*, nec in disticho ipso quidquam est, quo deum indicari videamus. Contra potius dubii reddimur, an recte sit *Apollinis* nomen in Plinio adscriptum. Aliud dubium movet Winkelmannus in Hist. artis pag. 679, non *puberem* sed *impuberem* legendum esse docens. Recte quidem, si loci sensum spectamus; sed cum facile *puer* et *puber* permutentur, in Plinio legere malo: *Fecit et puerum subrepenti* etc. *Apollinis* nomine omissio. Cui lectioni et Martialis et signa antiqua favent. Forma, qua *Sauroctonos* exhibebatur, in gemma conspicitur *Cab. de Stofch* p. 190. Signa ostendunt puerum, non juvenem, sublato brachio sinistro arboris stipiti innixum, qui lacertae insidiari videtur, in stipite sursum reptanti, manu dextra parata, ut eam vel capiat vel transfigat sagitta. In Europa enim meridionali non facile arbor major esse dicitur, in qua lacerta sedem suam non habeat. Celeberrima signa sunt haec: aeneum pueri decem circiter annorum in villa Albani, cui arborem cum lacerta recentioribus temporibus adje-cerunt;

cerunt; tantae hoc signum est elegantiae, ut Winkelmanno ipsius Praxitelis opus esse videretur. Duo marmorea sunt in villa Borghese, quorum pulcherrimi imaginem Winkelm. in monumentis ineditis tab. 40 proposuit. Caput et corpus pulcherrima sunt, sed pes sinister in his et reliquis signis duobus invenuste post dextrum positus minime decet Apollinem, juventutis formosissimae exemplar. Quare Winkelmannum, quamvis alio loco pedes sic positos Faunorum juvenum et Satyriscorum esse doceat, Apollinem tamen, licet impuberem et Admeti regis pastorem esse velit, in hac statua videre potuisse miror. Strophium sive vitta tenuis illa, qua pueri crines continentur (a Winkelmanno diadema appellatur et in aeneo illo signo est argenteum) pro certo Apollinis signo haberi non potest. Alia etiam signa dicuntur exstare. In omnibus superest, ut, quid antiquum sit, quid non, diligenter exploretur. Eorum, quae in Augusto Dresdeni commemorantur, alterum Tom. II. tab. 51 a Beckero, quatenus antiquum est, ex conjectura incerta pro Apolline Saur. habetur; in altero T. III. tab. 132 caput et brachia superiora antiqua agnoscuntur esse Antinoi; utrumque in partibus pluribus mutilatum temporibusque recentioribus resectum est, ut nihil fere pro certo haberi possit. Iam vero cum, quantum scio, nondum sit repertum signum huius generis, quod de Apolline dubitare non patiatur; cum in scriptis veterum monumentis Apollo Sauroctonos non videatur commemorari nisi in illo Plinii loco, ut eum Harduinus edidit; denique cum Martialis simpliciter de puero loquatur: de Apolline Sauroctono, donec certiora argumenta prolata fuerint, dubitare licebit. Etenim quid cogit, de deo cogitare? Puerum pulchrum facturus erat artifex; cuius signum ut aliquatenus animaret, faciebat lacertae insidiantem, sagitta eam transfixurum. Quod si verum est, si deum fingere artifices noluerunt, frustra viri docti, quid lacerta sibi velit, et cur Apollo eam interficiat, explicaturi laborarunt. Ap.

## Apoph. 172

est distichon in *Hermaphroditum marmoreum*, quem ad Polyclis prototypon factum fuisse credi potest. (Plin. l. 1. no. 20.) Saepissime eum ab artificibus effictum fuisse, vel inde palam est, quod etiam nunc non exiguus statuarum ejus numerus superest, quarum plurimis iacens et molliter dormiens repraesentatur.

## Apoph. 175.

*Hercules Corinthius* h. e. ex aere corinthio factus.

Elidit geminos infans, nec respicit, angues.

Jam poterat teneras Hydra timere manus.

Hercules infans angues a Junone missos elidit, quasi ludat; non enim *respicit*, ac si timeat et opem sibi ferri velit. Hydra lernaeva, postea his manibus peritura, teneras eas jam timere poterat, ἐδύνατο δὲ φοβέσθαι, si eas vidisset. Fabula est nota; jucundissime narratur in carmine, quod Herculiscus inscriptum inter Theocritea numeratur, quamquam operis majoris, Heracleae, (sive Pisandri sive alius poetae; cf. Heyne in Exc. 1 ad Virg. Aen. lib. 2 et ad Apollod. 2, 4, 8.) qua Herculis res gestae ordine canebantur, pars sit. Hercules, decem menses natus, in scuto aeneo cum Iphiclo, fratre, dormiebat, cum media nocte duo angues advolverentur. Puerorum experrectorum alter manibus obversis altera alterius serpentis jugulum comprimens utrumque suffocabat. Cf. etiam Pind. Nem. 1, 50 seqq. Praeter poetas argumentum hoc etiam pictores, statuarii et signorum sculptores tractaverunt. Inter Zeuxidis tabulas erat *Hercules infans, dracones strangulans, Alcmena matre coram pavente et Amphitryone*, Plin. H. N. l. 35 sect. 56. no. 2. In Philostrati Junioris iconibus no. V. (ed. Olearii p. 869) copiose describitur *Hercules in cunis*, tabula nescio cujus pictoris, in qua Hercules ipse ita pictus erat, ut ludere et iam in cunis labores ridere videretur,

ἄδεν

ἄδεν ἐπιστρέφόμενος τῆς μητρὸς h. e. minime respiciens ad matrem. Dracones, alter altera pueri manu compressus, jam deficient, quod multa arte expressum erat. Spiras solventes jam humi extenduntur; capita, quorum etiam dentes aliquatenus conspicui, jam declinantur ex pueri manibus, cristae flaccescunt; oculis jam nihil cernere videntur; squamae jam decolores sunt et lividae. Adstant Alcmena et famulae, Amphitryo et succurrentes Thebani, Tiresias jamjam vaticinans; singuli, si recte vidit Philostratus, suos animi motus et sensus aptissime significantes. Denique adpicta erat Dea Nox, face omnia collustrans; quod studium, symbolice tempus nocturnum indicandi in hoc quidem argumento recte miratur Héyne in Opusc. Academ. Vol. V. pag. 173. Diversa est ratio tabulae in *Pittur. d' Ercol.* T. 1. tab. 7. ubi, Jove adfidente, Hercules genibus humi positus angues, capita adversus eum erigentes strangulat, Alcmena territa fugit, Amphitryo Iphicium in brachio gestans stupet. Carmen hexastichon *εἰς ἀγαλμα Ἡρακλέους* angues suffocantis vide inter Adespota Anthologiae Graecae no. 281 ed. Jacobi Tom. IV. pag. 176. In Augusteo Beckeri T. II. tab. 89 pueri imago humi sedentis exhibetur, quem esse Herculem angues jugulantem facile concedo, sed brachium utrumque praefractum male instauratum est. Manu sinistra nunc pisciculum tenet, et dextra nescio quid ad genu premit.

Apoph. 177. *Minerva argentea.*

Dic mihi, virgo ferox, cum sit tibi cassis et hasta,

Quare non habeas aegida? „Caesar habet.“

Attentione nostra non indignum est hoc epigramma, propter Minervam armatam quidem, sed sine aegide. De aegide videatur Klopfer, V. D. in Lex. mythologico. In statua quadam Minervae (ap. Winkelm. monum. ined. no. 17) aegide non solum pectus sed tergum etiam, in quo instar pallii ad pedes dependet, tegitur. Similem Mi-

nervae

nervae aegidem Winkelm. in gemma atque in lucerna antiqua viderat, sicut pelles pastorum in tergo pendentem; quae forma singularis proprie eam esse pellem caprinam dubitare non patitur. Anterior aegidis in statua pars in formam squamarum elaborata, in medio Gorgonis caput habet; margo cinctus est anguibus; cingulum etiam, quo inferior aegidis pars in tergo constringitur, ex anguibus constat. Sunt etiam Palladis statuae, quarum brachium sinistrum aegide ex collo deae pendente tegatur, ubi pro clypeo est. Solet autem pectus Minervae tectum esse aegide, ut ea sit pro thorace. Quam non habere hanc Minervam argenteam miranti poetae respondet dea: „Caesar habet“ Domitianus, qui Minervam tamquam numen familiare colebat eiusque se filium jactabat. Cui in bellum Sarmaticum profecturo lorica offerebatur ad formam aegidos Minervae affabre facta; de qua Martialis lib. 7. epigr. 1: *Accipe belligerae crudum, impenetrabilem, thoraca Minervae; Ipsa Medusaeae quem timet ira comae. Dum vacat haec, Caesar, poterit lorica vocari: Pectore cum sacro sederit, aegis erit.*

Apoph. 179. *Leander marmoreus;*

qui cum natans in undis marmore fingi non posset, apud animum meum statuo, juvenem pulchrum factum esse in littore ad primas undas stantem, corpore jam inclinato, ac si cum maxime se in undas conjecturus sit; capillos agitent venti; in vultu expressa sit audacia sed aliqua trepidatione admixta, ut juvenis periculum non ignorare et tamen omnia experiri certus esse videatur. Talem fere Musaeus in Carm. de Herone et Leandro v. 241 seqq. juvenem descripsit, Hellesponti fluctus prima vice tranaturum; qui cum Herus lucernam videret accensam et suum ipsius animum incensum sentiret, in littore furentium undarum tumultus audiens, primo quidem tremit, post vero animo recepto se ipse inculat, quod aquarum rationem habeat ignibus flammans,

grans, atque littore exsiliens in mare se praecipitat. Statuae subscriptum fit distichon Martialis:

Clamabat tumidis audax Leander in undis:

Mergite me, fluctus, cum rediturus eo.

Talis erat Leander; hi vultus juvenis, qui in mediis fluctibus et paene oppressus clamare poterat: mergite me, cum *rediturus eo*. Sic enim recte Anton. de Rooy emendat pro *rediturus ero*. (Mart. l. 2, 5: *Quatuor haec fiant, cum rediturus eam*.) Inter monumenta quae supersunt, non satis memini, quatenus mihi carissimos libros evolvere licuit, Leandrum videre descriptum; sed fuisse hoc argumentum frequentius tractatum, vel inde apparet, quod inter ea, quae Saturnalibus dono mitti possint, numeratur. Non dubito, quin prototypon exstiterit, artificis summi opus, quod cum placuisset, alii aere marmoreve imitentur. Aliud eiusdem argumenti epigramma, quod etiam pro inscriptione Leandri marmorei pictive habendum est, exstat in libro *de Spectac.* 27, etsi inter ea, quorum fingendorum occasionem spectacula praeberint, alieno sit loco.

Cum peteret dulces audax Leandrus amores,

Et fessus tumidis jam premeretur aquis,

Sic miser instantes affatus dicitur undas:

Parcite, dum propero; mergite, dum redeo.

Quod nescio cuius poetae tetrastichon huic de Leandro fictitio, qui imperatoris mare amphitheatrale tranarat, disticho:

Quod nocturna tibi, Leandre, pepercerit unda,

Desine mirari: Caesaris unda fuit;

alius adjunxisse videtur, postquam id alius in margine adscripserat.